

COMMENTARIA
IN
LIBRUM PRIMUM SAMUELIS

SIVE
REGUM.

ARGUMENTUM.

Ordo. Libri Regum recto temporum ordine proxime sequuntur librum Iudicum, cuius appendix est liber Ruth. Post Iudices enim in Israele regnarunt Reges, quorum gesta hic describuntur, ideoque libri Regum nuncupantur. Itaque liber Iudicum desinit in Samson, qui ante Heli ultimus fuit Iudex, Iudicavitque annis 20. *Judic. xvi.* vers. ult. Samsoni proxime successit Heli Pontifex, qui quasi Iudex praefuit Israeli 40 annis: Heli successit Samuel et Saul totidem annis. Samuel ergo absolute ultimus fuit Iudex: nam sub eo populus petiit regem, quem Samuel jussu Dei eidem primum dedit Saul. Hic igitur mutavit statum Reipublice ac Aristocratiam Iudicum convertit in Monarchiam Regum. Heli autem licet Iudicis gesta, non in libro Iudicum, sed in in hoc libro Regum praemittuntur, quia sub ipso floruit Samuel propheta, qui principatum mutavit in regnum, de quo mox.

Materi. Hic sequitur quatuor Regum libris Spiritus Sanctus prosequitur historiam gentis Judaice, et Ecclesiae sive Synagoga veteris proxime a Iudicum exitu, quorum ultimus fuit Samuel, cuius hic gesta praemittuntur: quia ab eo facta est mutatio regiminis aristocratici in monarchicum et regale. Unde Regum nomine hi libri inscribuntur. Nam in primo libro agit de ortu, educatione et principatu Samuelis, ac de regno, actis et morte Saulis; in secundo agit de regno Davidis, qui Sauli a Deo ob inobedientiam rejecto, a Samuele jussu Dei surrogatus est: quocirca hi duo primi libri vocantur libri Samuelis, sive quia a Samuelis gestis incipiunt, sive quod gesta Saulis et Davidis, gesta Samuelis censeantur, eo quod Samuel eos reges constituit.

Doctr. Porro hi duo primi libri complectuntur tempus quo Heli, Samuel, Saul et David praefuerunt Israeli, quod fuit 120 annorum. Nam, ut dixi, Heli

praefuit annis 40 totidem Samuel et totidem denique David.

Duo vero posteriores libri, scilicet tertius et quartus Regum, enarrant acta Salomonis, qui Davidi patri successit, ejusque filiorum et nepotum, qui in Juda a Salomone usque ad ultimum Sedaem regnarunt; item gesta Jeroboam et posterorum ejus, qui schisma facientes a Roboam et Juda, in Israele, id est in decem tribubus regnarunt usque ad ultimum regem Osee, qui a Salmanasar captivus abductus est in Assyriam anno sexto Ezechiae regis Juda. Igitur hi duo libri historiam omnium regum tam Juda quam Israel a primo ad ultimum per annos 430 pertexunt. In qua ad litteram multa virtutum, multa etiam divinae providentiae, Daeque juste infideles et impios punientis, et fideles pioque premiantis exempla passim describuntur: multa quoque propheticæ dicta intextuntur, quae ad institutionem fidelium et mores dirigendos multum conferunt. Audi S. Gregorium hic in *Prologo*: « Historia Regum, quia eo Spiritu condita, quo et cetera Scripturae sanctae volumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor Sacramentis, quibus non est inferior titulo auctoritatis. Nam omnes scriptores ejus fuisse Prophetae referuntur, qui, cum historica narrent, spiritualia significant, exteriora loquuntur, et intima innunt; terrae proponunt, ut caelestia exsequantur, » etc. Et post nonnulla: « Snavis est historia Regum in superficie litterae, altior in typis allegoriae, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis. » Et D. Augustinus, lib. XVII *De Civit. cap. 1.* « Ipsa Scriptura quae per ordinem Reges eorumque facta et eventa dirigens, videtur tanquam historica diligentia rebus gestis occupata esse narrans, si adjuvante Spiritu Dei considerata tractetur, vel magis vel certe non minus praenuntiandis futuris,

quam praeteritis enuntiandis invenietur intenta. » Porro duo primi libri ab Hebraeis vocantur libri Samuelis, imo ab eis aequae ac Syris vocantur *Prophetia Samuelis*; duo vero posteriores soli ab eis vocantur libri *Regum* vel *Regnorum*, quod in eis plurimum regum tam Juda quam Israel regna, id est, regnationes modique regnandi recensentur.

Ubi nota quantum differat historia sacra a profana: illa enim, cum spiritu divino conscripta sit, narrat res humanas ut a divina providentia gubernantur; haec vero spiritu humano composita refert eas, ut hominum prudentia et industria proveniunt; itaque illa docet prudentiam divinam, qua mens pio cultu Deo adhaereat, ejusque ope et religione potissimum nitatur; haec vero prudentiam humanam et minutas quasdam cautumculas hominum industria inventas, quae plerumque parum habent virtutum, et saepe afferunt periculum. Quare nihil congruentius principum instructioni quam sacrae historiae, praesertim lib. Regum explicatio. Inde enim clare intelligunt fundamentum regni et pollicite, totiusque prosperitatis in vera religione et justitia collocandum: extra hoc nihil Christiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V Imperatori, cui adolescenti Adrianus (postea sextus ejus nominis Pontifex) insinavit ut legeret libros Regum. Unde ille ea hausit gubernandi documenta et principia, quae illum non solum Catholicum effecerunt, sed etiam in maximum et potentissimum principem successibus felicem exegerunt.

Pari modo refert Cicero ad *Quintum fratrem*, Scipionem Africanum assidue leclitasse pedium Cyri, indeque tantum in bello aequae ac pace duccem et principem evasisse. Lampridius in *Alexandro Severo*, refert eum solitum legere *Respublicam* Platonis; Plutarchus in *Alexandro Magno*, scribit eum saepe ad manum habuisse Homerum, ex cuius lectione sentiebat sibi addi animos ad heroica facinora, quando in eo tanta Achillem patuisse cernebat. Porro Religionem orthodoxam esse fundamentum imperii scribit, et inculcat Theodosio Imperatori S. Cyrillus, lib. *De Recta Fide*, subintitulum. Denique S. Clemens, lib. *I Apost. Const. cap. vi.* docet Christiano lectandos esse libros Regum, inde enim veras praesque historias iustendas esse, non a libris Gentilium.

Allegorice et tropologicæ S. Hieronymus, epist. 403 ad *Paulinum*: « Samuel, inquit, in Heli mortuo et in occiso Saule, veterem legem aboivit monstrat. Porro in Sadoch atque David, novi sacerdotii novique imperii Sacramenta testatur. Melchisedech, id est, Regum tertius et quartus liber a Salomone usque ad Jecheoniam; et ab Hieroboam filio Nabat usque ad Osee, qui ductus est in Assyriam, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt. Si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiae paucitas, et haereticorum contra Ecclesiam bella narantur. »

Omnis enim reges Juda faere typi Christi ex eis nascituri, qui est Rex regum et Dominus dominantium, ut ait hic S. Gregorius. Unde S. Augustinus, lib. XVII *Contra Faustum*, cap. xxv. dicit, inquit, illorum hominum, non tantum linguam, sed etiam vitam fuisse prophetiam, totumque illud regnum gentis Hebraeorum magnum quemdam, quia et magni cujusdam, fuisse Prophetam. »

Primum Regum librum scripsit Samuel propheta (unde duo primi libri ab Hebraeis Samuelis vocantur) usque ad mortem suam, quae recensetur lib. I, cap. xxv. Ita censent S. Gregorius, Theodoretus, Procopius, Eucherius, Hugo, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Vatablus, Serarius et alii passim; mortem vero Samuelis et gesta post eam usque ad finem libri secundi scripsit David, ait S. Isidorus, lib. VI *Originum*, cap. ii, aut potius Nathan et Gad prophetae, qui Davidi erant a secretis et commentariis, ut scilicet ejus acta per singulos dies, quasi Diaria et Chronica sive Ephemerides conscriberent, uti disertè dicitur *I Paralip. xxix.* in fine. Ita censet Bellarminus et Sixtus Senensis, lib. I, licet Abulensis hic, et Quæst. IV in cap. xvii lib. *Judicum*, eos ab Isaia vel Jeremia conscriptos putet, eo quod cap. xxvii, vers. 6, *Steteleg.* dicitur facta regum Juda « usque ad diem hanc: » hoc enim non videtur dixisse David, sed aliquis eo posterior, ut Isaia vel Jeremias. Verum haec particula libro jam composito addi potuit ab Isaia vel Jeremia, uti similia addita sunt in Pentateucho Moysi, Josue, Judicum et alii libris.

Duos posteriores Regum libros usque ad Jerusalem excidium, ex praesentis singulorum regum annalibus a Jeremia scriptos esse censet Procopius, Isidorus, R. Moses Kimchi, quos citat Sixtus Senensis, lib. I. Item Abulensis, Dionysius et alii; idque confirmatur ex eo quod caput ultimum Jeremiae idem sit cum capite ultimo libri quarti Regum. Isaia enim diu ante posteriorum regum tempora et captivitatem Babylonicam, quae hic enarrantur, mortuus fuit: ea vero vidit Jeremias. Ubi nota: singuli reges suos habebant a commentariis, qui acta eorum, sive Diaria quotidie conscriberent; sic enim gesta Salomonis scripsit Ahias Silonites et Addo propheta, ut dicitur *II Paralip. ix.* quae *III Reg. xi.* vocantur « liber verborum, » id est factorum « dierum Salomonis, » ait Theodoretus et Abulensis. Sic acta Roboam filii Salomonis, aequae ac Abiae regis filii Roboam, scripsit idem Addo et Semeias propheta, ut dicitur *II Paralip. xii. 13.* et cap. xiii, 22. Sic Oziae regis gesta scripsit Isaia, ut ibidem dicitur cap. xxxi, vers. 22, aequae ac Ezechiae, ut ibidem dicitur cap. xxxii, vers. 32; unde putant nonnulli Isaiaem gesta regum scripsisse, vel ex Diariis collegisse a Salomone usque ad Manassem, a quo Isaia interfecus est; reliqua deinde usque ad captivitatem Babylonicam post Isaian pertexuisse Jeremiam. Ita Sanchez. Favet quod quatuor capita Isaiae, scilicet

cel xxxvi, xxxvii, xxxviii, xxxix, prorsus eadem sint cum IV Regum cap. xviii, vers. 19 et 20. Addit Sanchez viros Ezechie, qui collegerunt Proverbia Salomonis, *Proverb.* xxv, forte Diaria quoque collegisse. Vide Sixtum Senensem verbo *Ezechias*. Sic pariter Jehu filius Hanani scripsit verba dierum, id est Diaria, sive Commentarios et Annales Iosaphat regis, ut patet II *Paratip.* cap. xx, vers. 34. Hinc etiam a Septuaginta vocatur liber *Paratipomenon*, qui hebraice inscribitur *diere ha'amim*, id est verba, hoc est gesta dierum, quasi dicat: hic liber continet ea quae in libris Regum relicta et omissa sunt ex iis, quae in priscis regum Diariis conscripta erant. Ergo hi Regum libri ex antiquis eorum Diariis collecti sunt, partim ab Isaia, ceterisque viris ab Ezechia ad hoc deputatis, partim a Jeremia, partim ab Esdra, uti sunt ea quae post Jeremiam sub Cyro confugerunt.

Libris Regum attestantur duo libri *Paratipomenon*, id est *relictorum*, sive *residuorum*, et ut S. Hieronymus, epist. ad *Domnionem*, ait, « praetoriturum; » quia hi supplent ea quae in libris Regum de regibus Juda (nam gesta regum Israel vix tanguntur in lib. *Paratipomenon*) praetermissa sunt; unde eos hic intexam, ubi eadem narrant; peculiariter vero quae addunt, in illis ipsis explicabo. *Paratipomenon* auctor non fuit Jeremias, quia capite ultimo narratur solutio captivitatis Babylo-nicae, ante quam mortuus est Jeremias (nisi quis dicat hanc illis postea additam, uti mors Moysi addita fuit *Deuteronomio*); unde Hebraei, Lyrannus, Abulensis et Joannes Driedo, lib. I *De Script. Eccl.*, et Sixtus Senensis, lib. I *Biblioth.*, probabiliter opinantur eos conscriptos ab Esdra, quia idem est finis *Paratipomenon*, et initium *Esdrae*, ut patet intuenti: et quia cum eadem historia narratur in libris *Regum*, *Paratipomenon* et *Esdrae*, narratio *Paratipomenon* consentit cum *Esdra*, non cum libris *Regum*. Rursum in fine *Paratipomenon* narrantur gesta Cyri, quae narrare non potuit Jeremias, qui ante Cyrum, sed Esdra, qui post Cyrum vixit.

Dices, II *Paral.* v, 9, dicitur: « Fuit arca ibi (in templo) usque in praesentem diem. » Hoc autem de tempore *Esdrae* dici nequit: nam ante captivitatem Jeremias arcam extulerat et absconderat, ut patet II *Machab.* ii, 5. Respondet Abulensis *usque in praesentem diem* intelligi de diebus Nathan, Addo et Ahie, qui primi Chronica et Diaria *Paratipomenon* conscripserunt, ex quibus Esdras ea descripsit et in ordinem redegit. Nam aliquot falsum esset quod in fine *Paratipomenon* de Cyro narratur. Constat enim diu ante Cyrum arcam ab Jeremia fuisse absconditam.

Porro « *Paratipomenon* liber, ait S. Hieronymus, epist. 103 ad *Paulinum*, id est instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturae sibi voluerit arrogare, seipsum irideat. » Et Cassiodorus, lib. *De Divin. lect.* cap. ii: « In *Paratipomenon*, ait, libris duobus, a patribus

magna praedicatur utilitas, qui veram gestorum notitiam breviter quidem, sed plenissime continere noscuntur. »

INTERPRETES.

Ad litteram scripsit quaestiones in libros Regum et *Paratipomenon* S. Hieronymus, sed de iis merito dubitat Bellarminus et alii an sint S. Hieronymi, quia S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccl.*, testatur se scripsisse Traditiones sive Quaestiones Hebraicas in *Genesis*, *Loca Hebraica et Nomina Hebraica*, sed de Traditionibus sive Quaestionibus Hebraicis in libros *Regum* et in libros *Paratipomenon* nihil dicit; praeterea in quaestionibus Hebraicis in *Genesis* adscribit idem S. Hieronymus passim verba Hebraica; in Quaestionibus autem in libros *Regum* et *Paratipomenon*, non nisi semel aut iterum id facit. Denique gravior videtur scriptio illa in *Genesis*, quam ista in libros *Regum* et *Paratipomenon*; sed ejusque sit hoc opus, non magni refert. Quare Quaestiones haec esse S. Hieronymi, negat Serarius, sunt tamen antiqui auctoris; nam saepe citantur ab Angelomo.

S. Augustinus scripsit librum *ad Simplicianum*, in quo quinque quaestiones ex libris *Regum* resolvit. Item in *Canticum Annae*, lib. XVII *De Civit.* cap. iv. Adhaec in varios Regum locos sermones decem, nimirum 196, 200, 201, 204, 206, 207, 210, 211 *De Tempore*, et primum inter *Homilias* 30.

S. Eucherius ex monacho Lugdunensis episcopus, anno Domini 441, tempore Leonis I Pontificis et Theodosii junioris Imperatoris, scripsit in libros *Regum*; quem hinc elogium ornat Claudianus Mamertus, episcopus Viennensis illi contempus, lib. *De Statu antmarum*: « Eucherius viriis aevi, maturi animi, terrae despuens, oculi appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquio profluus, magnorum sui saeculi Pontificum longe maximus, » etc.

Verum, ut recte advertit Bellarminus *De Script. Ecclesiast.* in *Eucherio*: « Ii commentarii nequeant esse Eucherii, eo quod auctor saepe S. Gregorium citat, et ad finem expositionis libri primi *Regum*, lectorem invitat ad *Moralia* S. Gregorii perlegendam, S. autem Gregorius plus ceptum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur scripsisse Eucherium ad Salomonem et Uranium de obscuris Sanctarum Scripturarum capitulis. »

Porro auctor horum commentariorum videtur fuisse Angelus, et vixisse paulo post tempora S. Gregorii. Nam in lib. III *Commentariorum in libros Regum*, cap. xxii, sic loquitur: « Nostris, ait, nuper temporibus S. Gregorius Papa, Evangelicis roboratus eloquiis, Romanam recit Eccle-

siam et reverendissimi Patres Augustinus, Paulus et alii socii eorum jubente illo venerunt in Britanniam, » etc. « Atque ab hoc auctore nulla eisdem bene verbis descripsit Beda in suis Quaestionibus super libros Regum, » ait Bellarminus, loco citato. Unde Doctores Lovanienses et Sixtus Senensis suspicantur hos commentarios non esse Eucherii, sed Bedae.

Venerabilis Beda, qui floruit anno Domini 730, scripsit Quaestiones in libros *Regum*, quae incipiunt: *Post librum Judicum*.

Angelomus Gallus, monachus Ordinis D. Benedicti Congregationis Lexoviensis, vir in divinis Scripturis nobile sortitus ingenium, jussu Drogonis episcopi Metensis, filii Caroli Magni Imperatoris, collegit et Commentariis veterum Patrum opus in IV libros *Regum*. Claruit anno Domini 830. Porro Angelomus primo sensum litteralem, deinde allegoricum prosequitur, idque fere ex Quaestionibus S. Hieronymi in libros *Regum*.

Posterioribus saeculis scripsere in hos libros Lyrannus, Hugo, Dionysius, Abulensis fuse et exacte. Nuper Cajetanus et Vatablus. Novissime nostri Franciscus Mandoza, Gaspar Sanchez et Nicolaus Serarius.

Mysticum sensum horum librorum tradit Commentarius Eucherii jam citatus. S. Augustinus nonnulla variis in locis tetigit, quae collegit Germanus quidam in opere *lucubrationum* S. Augustini in *Biblia*, collegit etiam Godefridus, Tilmanus, Carthusianus Parisiensis in hos libros, aeque ac in ceteros biblicos sensus mysticos ex variis auctoribus, sed fere ignotis. S. Gregorius tropologicè scripsit in cap. xvi lib. I *Regum*; Origenes homiliam unam in prima capita. Exstat Venerabilis Bedae expositio allegorica in Samuelem prophetam, in quatuor libros distincta ad Accam. Nonnulla quoque ex his libris allegorice explicat S. Prosper, lib. *De Promiss. et praedict.* Denique in libros *Regum* et *Paratipomenon* scripsit Procopius Gazeus, sed ejus commentarios necdum vidi, et an impressi sint dubitat Bellarminus. Noster Serarius hic testatur se eo manuscripto ex bibliotheca Marci Velseri usum fuisse.

CHRONOLOGIA REGUM SACRA ET PROFANA.

Post Mosen Josue praefuit Israeli 47 annis, deinde Judices usque ad Samsonem inclusive per annos 299, ut ostendi initio *Josue* et *Judicum*. Judicibus, puta ultimo Samsoni immediate successit Heli per annos 40. Mox Samuel et Saul per totidem annos, inde David per totidem annos, David et ingressus Hebraeorum in Chanaan usque ad Heli, a quo incipiunt libri *Regum*, fluxere anni 316. Quare cum Moses mortuus sit anno mundi 2493, eodemque anno Hebraei duce Josue ingressi sint terram promissam, sequitur Heli Israeli praesece cepisse anno mundi 2814. Illo enim mor-

tuus est Samson eique successit Heli, qui fait annus ante Christi natiuitatem 1337. Post captam Trojam (a qua Gentiles omnes suas computant historias) 29. Haec omnia juxta tabulam chronologicam quam praefixi Pentateucho digessi. Porro S. Cyrillus Alexandrinus, Graecorum doctissimus, lib. I *Contra Julianum*, hunc assignat synchronismum, sive combinationem historiae sacrae cum profana: Troja, ait, expugnata est post Mosen anno 410, regnante apud Hebraeos judice Eschon, apud Aegyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamio, apud Graecos Agameppone.

Quinto anno post captam Trojam, apud Latinos regnavit Aeneas, apud Hebraeos Judex Samson.

Anno 63 post captam Trojam mortuus est Heli Pontifex, propheta Samuel, regnat Saul.

Anno 163 post captam Trojam flourerunt Homeerus et Hesiodus, apud Latinos Alba Sylvius.

Anno 268 post captam Trojam vixerunt Elias et Eliseus, regnante apud Hebraeos Joram.

Anno 275 post captam Trojam Lyeurgus leges dedit Spartanis, Lalinis rex Procax Sylvius.

Anno 280 post captam Trojam prophetaurunt Osee, Amos, Isaia.

A capta ergo Troja usque ad primam Olympiadem anni 815.

Prima Olympiade, nascuntur Romulus et Remus, regnante apud Hebraeos Joathan, in Israel Phaece.

Olymp. 33, fuit Thales Milesius vixitque usque ad Olympiadem 58.

Olymp. 36, prophetaurunt Jeremias et Sophonias.

Olymp. 46, Solon leges dedit Atheniensibus, abrogans Draconis leges.

Olymp. 49, cum Judaei essent in Babylone, prophetaurunt Daniel et Ezachiel.

Olymp. 50, flourerunt septem Sapientes et Anaximander.

Olimp. 56, regnat Cyrus, prophetaur Aggaeus, Gazeus, sed ejus commentarios necdum vidi, et an impressi sint dubitat Bellarminus. Noster Serarius hic testatur se eo manuscripto ex bibliotheca Marci Velseri usum fuisse.

Adverte in hoc S. Cyrilli computo Judicem Eschon esse Abesan. Hunc enim Septuaginta vocant Ebesan, pro quo Cyrilli codex corrupte habet Ebeson, sub quo captam Trojam censet Cyrillus, licet Eusebius, Sallianus et alii putent praesece captam Trojam anno ultimo Samsoni immediate successit Heli per annos 40. Mox Samuel et Saul per totidem annos, inde David per totidem annos, David et ingressus Hebraeorum in Chanaan usque ad Heli, a quo incipiunt libri *Regum*, fluxere anni 316. Quare cum Moses mortuus sit anno mundi 2493, eodemque anno Hebraei duce Josue ingressi sint terram promissam, sequitur Heli Israeli praesece cepisse anno mundi 2814. Illo enim mor-

raeli septem annis; post hunc Ahialon annis decem; post hunc Abdon annis octo; post hunc Samson annis 20. Cyrillus suo Ezechon sive Abdon tantum tribuit annos quinque. Hinc rursus asserit anno 65 post captam Trojam, mortuum esse Heli eique successisse Samuelem, cum præcise id

contigerit anno 60 post captam Trojam, ut patet ex dictis (1).

(1) Contra hæc libros Regum tot fragmenta et angas objiciunt Peronenis philosophus alique increduli, ut totidem responsa supersedere ac vanum nobis videatur, hæc quibusdam tamen minoris jocois instabimus.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anna sterilis ex voto nascitur filius, vocaturque Samuel, qui ab lactatus ab ea offertur et deditur Deo per manus Heli Pontificis.

Samuel enim hoc libro est quasi choragus, et Regni Regumque institutor; unde ipse expressus fuit typus Christi. Nam primo, sicut Samuel natus est ex Anna sterili, sic Christus ex B. Maria Virgine. Secundo, Anna nato Samuele cecinit Canticum Eucharisticum Deo, sic B. Virgo concepto Christo cecinit Magnificat.

Tertio, Anna ex voto Samuelem obtulit Deo, sic B. Virgo eidem obtulit suam Jesum. Quarto, Anna filius dictus est Samuel, id est, nomen ejus Deus; B. Mariæ Virginis vocabus est Emmanuel, id est, nobiscum Deus, Matk. i. Quinto, Samuel fuit propheta magnus et sanctus; Christus fuit Prophetarum sanctissimus et maximus. Sexto, Samuel fuit iudex et vinax Israelis contra Philistæos; Christus fuit iudex et vindex omnium fidelium et Sanctorum, profligans demones, mortem et gehennam ceterosque

Samuel
typus
Christi.
Hinc
secundo.
Tertio.
Quarto.
Quinto.
Sexto.

Septimo.

eorum hostes. Septimo, Samuel instituit regnum ac primum regem Saulem, deinde Davidem auctoravit et creavit; Christus instituit regnum sacerdotale et sacerdotium regale, omnesque Christianos creavit reges, ut scilicet dominentur suis cupiditatibus, itaque sunt cives, imo reges celi, juxta illud I Petr. ii, 9: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, etc. Denique Samuel omnibus suis dictis et factis prælusit iis quæ dicenda et facienda erant a Christo, æque ac ceteri Judices et Reges. Unde S. Hieronymus, epist. 103 ad Paulinum: In Judicum libro, inquit, quot principes populi, tot figure sunt Jesu Christi. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. I Strom., Judices et Reges qui post Moysen Israeli præfuerunt, prophetas nuncupat, non quod omnes ore prophetarum, sed quod factis et regia dignitate Christum in æternum regnaturum præfigurarent. Idem asserit S. Gregorius et S. Augustinus, quorum verba in Proemio recitavi. Finis enim et scopus legis, ut ait S. Paulus, et Prophetarum totiusque sacra Scriptura, est Christus. Ipse enim est rex, salvator, redemptor mundi; ipse est honor, timor et amor noster; ipse salus nostra, ipse centrum cordis nostri, ipse portus, quies et salus nostrorum desideriorum; ipse vita, gloria, felicitas omnemque bonum nostrum, ad quem proinde ut solem justitiam omnes Reges, omnes Patriarchæ, omnes Prophetae, omnes fideles et Sancti, seu stellæ ab eo lumen gratiæ et gloriæ emendicantes respiciunt, ipsumque demissis ad pedes ejus coronis suis prostrati in terram reverenter adorant, Apoc. iv et v.

1. Fuit vir unus de Ramathaim-Sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Eleana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephraim; 2. et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii, Annæ autem non erant liberi. 3. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, et immolavit Eleana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes; 5. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat, Dominus autem concluderat vulvam ejus. 6. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus; 7. sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini; et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Eleana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum quam decem filii? 9. Surrexit autem Anna, postquam comederat et hiberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, 10. cum esset Anna amaro animo oravit ad Dominum, fletus largiter; 11. et votumovit, dicens:

Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulae tuae, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillae tuae, dederisque servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vite ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. 12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Estimavit ergo eam Heli temulentam, 14. dixitque ei: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum quod mades. 15. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animum meum in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial; quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Numquam inveniatur ancilla tua gratiam in oculis tuis! Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. 19. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino: reversisque sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Eleana Annam uxorem suam, et recordatus est ejus Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir ejus Eleana, et omnis domus ejus ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. 22. Et Anna non ascendit; dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablaclatur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter. 23. Et ait ei Eleana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablaclat eum, precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte. 24. Et adduxit eum, postquam ablaclaverat, in vitulis tribus, et tribus modis farinae, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; 25. et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine. Ego sum illa mulier quæ steti coram te hic orans Dominum. 27. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum; 28. idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait.

Vers. 1.

1. FUIT VIR UNUS (singularis, egregius, eximius, quasi unus e multis) DE RAMATHAIM-SOPHEM. — Patria hæc Eleanae et Samuelis dicta fuit Rama, id est *exelsa*, quia in monte sita, et Ramula, et Ramatha et Ramathaim, id est duæ Ramæ: est enim nomen duale, quia urbs hæc erat bipartita et bicollis, utpote in monte bicipiti sive bicollis sita. Ita Serarius, licet Sanchez putet Ramathaim in duali dici hæc urbem, eo quod vicina esset alteri Ramæ, quæ erat in tribu Benjamin, quasi duæ hæc urbes ob viciniam in unum corpus coalescere viderantur. Eadem addita littera A dicta est Arimathia, e qua oriundus fuit Joseph nobilis Decurio, qui sepelivit Christum, *Math.* cap. xxvii, uti asserunt S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, Beda, Angelomus, Rabanus, Hugo, Dionysius et alii.

Porro Ramatha sive Ramathaim cognominata est *Sophem*, id est *speculantium*, quod in ea, utpote in alto monte sita essent urbes et regionis totius speciales turres, et in iis excubiæ speculatorum. Ita Vatablus, Cajetanus, Sanchez et alii. S. Hieronymus, (vei quisquis est auctor) in *Quest.*,

Lyranus et R. Salomon censent Rama fuisse oppidum speculatorum, id est contemplativorum, quod in ea quasi Academia residenter Prophete virique docti SS. Litterarum studio dediti. Unde Chaldaeus verit: *Fuit vir unus Ramathus ex prophetarum discipulis*. Elias enim, Eliseus eorumque discipuli degebant in Carmelo alisque montibus, tum ut turbas fugerent, tum ut in solitudine Deo soli vacarent, tum ut a montibus melius celum suspicerent ad illudque anelarent.

DE MONTE EPHRAIM. — Tribus enim Ephraim habitabat in loco alto et montoso. Addit hoc, quia alia erat Rama in tribu Benjamin, alia in tribu Aser, alia in tribu Nephthaim; hæc vero sita erat in tribu Ephraim; imo Saligniacus, Adriehomius et alii numentur quinque urbes vel villas, quarum nomen erat Rama. *Prima* enim erat juxta Thecuan, in via Hebron. *Secunda*, in Nephthaim, proxima castro Sephet. *Tertia*, juxta Sephorim. *Quarta*, in Silo. *Quinta*, juxta Gabaa, quæ omnes vocantur Rama, id est, *exelsa*, quia in montibus sita.

line S. Gregorius putat Samuelem, in Rama natum, fuisse prognatum a tribu Ephraim; sed certum est eum fuisse oriundum e tribu Levi, adeoque a Levi per Caath et Isaar, non vero per Amram et Aaron fuisse progenitum, ideoque fuisse Levitam, non Sacerdotem, ut patet lib. I *Paralip.* cap. vi, vers. 33.

Dices: Si Samuel erat ex tribu Levi, quomodo natus est in Rama, quæ erat tribus Ephraim? Respondeo, causa est, quod tribus Levi in divisione Chananae non acceperat sortem propriam, uti ceteræ tribus, sed per eas sparsa erat, adeoque in iis sua habebat oppida, inter quæ erat Rama. Cuius dispersionis causas quatuor dat Lyranus in cap. xxi *Josue*: « *Primam*, ne cultus Dei ad unam tantum tribum pertinere videretur; *secundam*, ne una tribus vel duæ de sustentatione Levitarum nimis gravarentur; *tertiam*, quia apud omnes gentes illi qui intendunt cultui divino a toto populo sustentantur; *quartam*, quia Levitæ tenebantur docere populum de his quæ ad cultum divinum pertinebant, facilius autem doceant per omnes tribus dispersi, quam in unam congregati. »

Has Lyrani rationes ibidem oppugnat Abulensis, *Quest.* VIII, sed frustra. Hinc patet Samuelem eque ac Eleana fuisse Levitam, non Sacerdotem, quia ex Caath per Core, non per Aaron sacerdotem descendit; unde dicitur *Psal.* xcvi, vers. 6: « Noses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. » Samuel tamen ex Dei dispensatione sacerdotis officio functus est, et ut sacerdos sacrificium Deo obtulit, ut audiemus in seq.: ita Abulensis et alii. Hinc et Heman et Asaph cantores fuere filii Joel, filii Samuel, filii Eleana, ut dicitur I *Paralip.* cap. vi, vers. 33. Cantores autem erant Levitæ, non Sacerdotes. Ex citato *Paralip.* loco pariter patet pium Samuelem ex impio Core, quem Mos rebellantem terra delinens vivum absorpsit, *Numer.* cap. xvi, fuisse progenitum. Ita Deus ex spina rosam producit.

DE NOMINE EJUS ELICANA. — *Elcana* hebraice idem est quod *Dei fortis possessio*. Talis est vir fidelis et iustus, qui per fidem, spem et charitatem in uno Deo recumbens fit *Elcana*, id est Dei possessio, ut nec homines, nec demones, nec miasma, nec tormenta, nec mortem quamlibet timere debeat.

FILIUS JEROHAM, — ita legendum cum Romanis, Hebraeis, Chaldeis, Septuaginta. Perperam ergo in Bibliis Regis pro *Jeroham* legitur *Jeroboam*.

EPHRAÏTHÆUS. — Cur Eleana vocatur Ephraïthæus? Respondet primo Cajetanus, quia *Ephraïthæus* hebraice idem est quod *augustus, opulentus, magnificus*; talis autem erat Eleana. Verum hæc ratio est symbolica, non litteralis: nam ad litteram *Ephraïthæus*, id est Ephraïthæus, est nomen patronymicum, notans patrem vel patriam Eleanae.

Secundo, S. Hieronymus in *Quest. Hebr.*, Ange-

III.

lomus, Rupertus, Hugo, Glossa, Dionysius dicunt Eleana dici Ephraïthæum, eo quod ab Ephraïta uxore Caleb, I *Paralip.* cap. ii, vers. 19, prognatus sit, ita ut Eleana et Samuel per patrem descendant ex Levi, per matrem vero ex Caleb et Juda, sicut versa vice Christus eorum antitypus, ac B. Virgo ejus mater per patrem descendant a Juda, per matrem a Levi, ut tam regalem quam sacerdotalem habeant prosapie sue dignitatem.

Verum obstat quod Scriptura non a matre, sed a patre solet viri suum genus et nomen indere, indeque cognominare.

Tertio ergo, genuine S. Gregorius, Beda, Lyranus, Abulensis, Vatablus et alii censent Eleanam dici Ephraïthæum, quia ex Rama quæ erat tribus Ephraim erat oriundus, non quod ex tribu Ephraim esset prognatus (fuit enim ipse ex tribu Levi, ut dixi), sed quod in ea habitaret. Ephraïthæus ergo idem est quod Ephraïmita, ut patet *Judic.* cap. xii, vers. 3. Sic Judæi, *Actor.* cap. ii, vocantur Medi, Persæ, Arabes, etc., quod ex parentibus non Medis, Persis, Arabibus, sed Judæis in Media, Persia, Arabia essent nati.

Symbolice, *Ephraïthæus* hebraice idem est quod *fragifer*. Talis fuit Eleana, quia fructum nobilissimum, puta Samuelem prophetam celeberrimum produxit.

ET HABUIT DUAS UXORES, NOMEN UNI ANNA, ET NOMEN SECUNDE PHENENNA. — Id fuit more illius avi, quo polygamia Dei permissione erat licita et usitata, ad citius magisque multiplicandum semen Israel populi fidelis. Porro primaria uxore Eleanae erat Anna, secundaria Phenenna: unde hæc ab eo ducta videtur non ex concupiscentia, sed eo quod Anna esset sterilis et illiberis, ut ex ea proles suscitaret: sicut Abraham duxit Agar ancillam Saree primarie uxoris, ipsa assente, imo rogante, ut cum ipsa esset sterilis, saltem ex Agar ancilla filios marito daret. *Phenenna* hebraice idem est quod *margarita*, *Anna* idem quod *gratia*. Apte: Phenenna enim margaritis et liberis, Anna vero gratia Dei ornabatur. Sic et hodie nonnullæ feminae vocantur *Gratia*: ita nuper Japonia illa virago, quæ cum omnibus filiis pro tunc Christi constanter mortem appetit, vocabatur *Gratia*.

Allegorice, *Phenenna* fecunda significat Synagogam Judæorum, quæ olim fidelibus filiis abundabat. *Anna* sterilis significat Ecclesiam gentium, quæ olim sterilis erat, sed per Christum omnes Gentes Deo peperit. Ita S. Gregorius, Rupertus, Hugo, Beda, Lyranus et Dionysius.

Symbolice, *Anna* significat vitam contemplativam Deo gratam; *Phenenna*, vitam activam proximis utilem. Ita S. Gregorius, Hugo et Dionysius utramque enim complecti debet Eleana, id est eximius possidens Deum.

3. ET ASCENDEBAT VIR ILLE DE CIVITATE SUA MATHA STATUTIS DIEBUS (Paschæ; Pentecostæ; Tal enaculorum, *Evodi* cap. xxiii. *Deut.* cap.

47

vers. 10), UT ADORARET IN SILO, — ubi erant arca, altare et tabernaculum. Josue enim hæc collocauit in Silo, quia Silo erat tribus Ephraim, ex qua erat Josue : unde mansit arca in Silo toto tempore Josue et Iudicum, per annos trecentos et amplius, donec captiva fuit a Philistæis, I Reg. cap. v. Porro dicitur Eleazar ascendisse in Silo, quia licet Ramtha in qua habitabat sita esset in monte, tamen Silo eo erat altior, imo altissimus totius Judææ, ad Adrichimium.

Adde : in Scriptura ascendere vel descendere idem est quod venire.

ERANT AUTEM IBI DUO FILII HELI, OPHNI ET PHINEES. — Heli primus fuit Pontifex ex stirpe Ithamar. Aaron enim duos habuit filios, seniores Eleazarum, juniorem Ithamar : quare Eleazar Aaroni, ut senior, in Pontificatu successit : Eleazar successit filius Phinees, et ita consequenter usque ad Heli. Tunc enim posterii Phinees segnit administrabant Pontificatum, ideoque ille ex familia Eleazari translatus fuit ad familiam Ithamar, puta ad Heli, in eaque mansit per 120 annos, scilicet toto tempore Heli, Samuelis, Saulis et Davidis ad Salomonem, qui Abiatharo abnepoti Heli, eo quod conspirasset cum Adonia regni sui anno, Pontificatum admisit, illumque transfudit in Sadoc, qui erat ex familia Eleazari. Rursum Heli successit Samsone, ac post eum fuit Judex Israelis : quare utramque gessit magistratum sive principatum, scilicet Ecclesiasticum et seculari. Gesta ejus fuere communia, et nil singulare continentia ; unde a Scriptura æque ac gesta Abesan, Abiathon et Abdon, Judicum cap. xii, omittuntur.

Porro Heli hebraice idem est quod super me, vel ascensis meo, vel folium meum. Apte, quia ipse nimis lenis et lentus permisit filios sibi dominari, et impune impieque vivere, ideoque ipse cum illis cum folium vento raptum, cito Pontificatu et vita privatus est. Unde Ophni hebraice idem est quod volans, vel avolans, aut tenebra mea; Phinees idem est quod os parentis vel confidentis.

4. DELIQUE PHENENNE UXORI SUE ET CUNCTIS FILIIS RUIS ET FILIARIS PARTES. — Intellige non vestium, ut voluit Hebræi teste Angelomo, sed carnum Deo sacrificatarum. Ita Origenes, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Vatablus et alii : licet enim in holocausto tota victimæ caro cremaretur Deo, tamen in victimæ pacificæ solus adeps cum renibus Deo adolebatur per ignem, reliqua caro debebat offerenti, qui ex ea ante tabernaculum cum suis epulabatur, et ex ea quasi sacro epulo cuique suam dabat partem, ut patet Levit. cap. iii, Deut. cap. xii, vers. 27.

Nota hic et imitare religionem et pietatem Elecanæ, qui ter in anno cum uxoribus et filiis omnibus ex Ramatha pergebat in Silo (a quo distabat septem milliariis) ibique hostias Deo immolabat, indeque religiose cum suis vescebat. Adhibet Abulensis, Quæst. X, eum sæpius venturasse,

sed sine uxoribus, et alla de causa, scilicet ut quasi Levita per vices suas Levitarum ministerio obiret in tabernaculo.

5. ANNE AUTEM DEDIT UNAM PARTEM TRISTIS. — Ver. 8. Hebraice Tristis dicitur Appia, quia dicitur. Pro tristis hebraice est צַרְרָא *appaim*, id est facies vel iras. Unde Septuaginta vertunt, secundam faciem; Chaldaeus, *partem electam*; R. David, *honorabilem*, quæ scilicet speciosa erat, et pulchram habebat faciem, id est speciem. R. Joseph vertit, *partem irarum et tristitia*; Pagninus, *partem cum ira vel furore*, eo quod, cum Annam diligeret, indignaretur plures ei partes se dare non posse : quod secutus Novus vertit *tristis*. Hebraice enim *appaim*, et faciem, et iram tristitiamque significat; utraque enim passio maxime in facie ostenditur et elucet, atque una alteri conjuncta et affinis est: tristis enim irascitur malo quod ipsum contristat; ac vicissim iratus tristatur de malo cui irascitur. Sic II Reg. cap. vi, vers. 8, pro eo quod Noster vertit, *contristatus est David*, hebraice est *iratus est David*. Et hic vers. 18, facies sumitur pro tristitia in Hebræo.

Adhibet Pagninus : Dabat Elecan partem super faciem prostratus, precans pro sua uxore sterili, ut Deus eam fecundaret et prole donaret, ut fecit Isaac pro Rebecca, Genes. cap. xxv, vers. 21.

7. PORRO ILLA FLEBAT ET NON CAPIEBAT CIBUM. — Ver. 9. Dicitur Anna comedisse, sed adeo parum, ut non comedisse videretur, ait Lyranus; aptius initio ex merore nil comedebat, postea tamen marito hortatu aliquid gustavit. Ita S. Gregorius, lib. I, cap. ii : « Quæ afflictæ, inquit, comedere noluit, a viro cohortata manducavit. » Addit Philo, lib. De Ebrietate, Annam per omnem vitam vino et sicca abstulisse, quasi Nazaream. Hæc continentia et patientia meruit fieri mater Samuelis, Propheta eximii. Nam Phenennæ emulæ suæ se calumniant et irridendi nil respondit, sed flebat. Unde S. Chrysostomus, hom. 62 ad Populum : « Tribulatio, ait, mater est philosophiæ (moralis, puta virtutis et patientiæ), Anna sua habens emulam contumelia eam persecuta non est. » Præclare S. Ambrosius in Psal. xxxiii, vers. 43, citans II Reg. cap. iii, vers. 29, De Christo patiente : « Ponit in pulvere os suum, si forte sit spes, » pro eoque legens : « Dabit in sepulchrum os suum : Ostendit, inquit, quamdam supra modum patientiam taciturnitatem, ut tanquam sepeliatur pro proprio, ne loquatur; et velut quoddam agere virtutem obstruit, ne vocem doloris emitat : tantum pondus assersens patientiæ, quam spes foveat; ut vocem ipsam velut basto quoddam et tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorqueat n. illa excitare possit injuria. »

Idem Ambrosius, lib. II De Offic. cap. vii : « Quantas, inquit, a populo illatas Moses absorbere contumelias? quam mihi sermone post injurias appellabat? quomodo consolabatur in laboribus, deinde oraculis, fovebat operibus? merito resti-

maus est super homines, et ut vultui ejus non possent intedere. »

Appositam huic rei et loco similitudinem dat S. Chrysostomus hom. 14 in I ad Thess. : « Non vides, inquit, in ædibus quando ex adverso et directo steterint duæ januæ, sique ventus vehemens; si alteram clausuris, nihil potest ventus, sed magna pars ejus virium præciditur. Ita nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum, et ejus qui te contumellis afficit et conviciis. Si tuam clausuris, extinguis totum spiritum; in actum operæ, non potest cohiberi. »

Aliam appositam dat Tertullianus lib. De Patientia, cap. viii : « Omnis, inquit, injuria seu lingua, seu manu incussa cum patientiam offenderit, eodem exitu dispangetur, qui telum aliquod in petra constantissime duritie libratum et obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nunquam reperussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet, nempe idcirco quis te ledit, ut doleas : quia fructus laedentis in dolore læsi est; ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissionem fructus sui. »

8. NUMQUID NON EGO MELIOR TIBI SUM QUAM DECEM (ID EST MULTI) FILII. — Ego enim sum vir nobilis, opulentus, pacificus, tibi amans, ut in me omnem consolationem omneque bonum habeas, quod ex multis filiis sperare potes. Tradunt Hebræi Phenennam genuisse decem filios, qui Elecan mensam circumdabant et ornabant, juxta illud : « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuito mensæ tuæ, » Psal. cxxvii, vers. 3. Atque ad eos alludere hic Elecanam, ut soletur Annam sterilem ex aspectu tot filiorum Phenennæ gementem, suamque sterilitatem lugentem. Sed hoc incertum est: decem enim hic sumitur pro multis.

9. SURREXIT AUTEM ANNA POSTQUAM COEBERAT, etc.

10. CUM ESSET ANNA AMARO ANIMO, ORAVIT AD DOMINUM FLENS LARGITER, ET VOTUM VOVIT. — Tempus meridianum erat, ait S. Chrysostomus, hom. De Anna, post prandium scilicet, quod omnes faciunt tempus recreationis, ipsa vero fecit orationis : quod imitantur Franciscani aliique Religiosi, qui mox a prandio orant et psallunt. Hinc et S. Hieronymus, epist. 7 ad Leviam : « Sic, ait, comedat, ut statim a cibo possit legere, orare, psallere. » Et S. Chrysostomus, hom. 24 in epist. ad Ephes. : « Vis, ait, discere vigiliam animæ, vade ad Annam. » Et hoc 79 ad Populum : « Anna, ait, orare non potuisset, nisi circa mensam jejuniatibus fuisset similis, etc. Opus est itaque nos et mensam petentes et desiderantes Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus nunquam in ebrietate decedit aut insolentiam, nunquam crapula disrumpitur, sed orationis expectationem pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omni bus appositis sumet, et multa quidem animam, multa vero benedictione corporis implebit. Mensa

namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis affert bona. »

Rursum Anna fleus orabat, intimi cordis compunctione et profusis lacrymis precis armata, ut observat S. Gregorius et Origenes.

Tertio, « votum vovit : » Talis sit nostra oratio, sic Deum expugnabit, et ab eo obtinebit quæcumque petit, ut obtinuit Anna. Porro votum hoc Anne, erat se filium, si ei daretur, facturum Nazareum, id est religiosum illius avi, qui scilicet comam non tonderet, et vinum siceramque non biberet, idque per omnem vitam, ut de Samsone dictum est Judic. xiii, 5, qui quæ omnibus diebus vixit Deo in tabernaculo ministraret, cum ceteri Levitæ per vices tantum, quæ tarde ob eorum multitudinem in orbem ibant et redibant, ministrarent. Erant enim Levitæ æque ac Sacerdotes in suis *tyræniæ*, id est classes distributi.

Porro Anna, votendo Samsone facere Nazareum, vovit eum non iturum ad funera patris et matris, et reliquas et ceteras Nazæeorum observaturas, ab Abulensis, licet id neget Cajetanus, qui putat eam vovisse Nazareatum Samuelis, quoad intonsam capillum et abstinentiam a vino et sicera duntaxat. Idem dixit de Samsone, Judic. cap. xiii, vers. 5.

13. PORRO ANNA LOQUEBATUR IN CORDE SUO, TAN-
TUMQUE LABIA ILLIUS MOVEBANTUR, ET VOX PENITIS
NON AUDIEBATUR. — Nimirum orabat corde fervido, ita ut verba ex corde in os resullarent, sed adeo silenter et demisse, ut vox non audiretur. Unde S. Chrysostomus, hom. 79, orationis Annæ fervorem exaggerat, quod non fuerit resonus foris, sed attenta, quod ex mente temperanti et pene jejuna profecta, quod ante fores templi, quod contumeliam patienter tulerit, etc. Audi Cassianum, Collat. IX, cap. xxvi : « Nunquam vero tanto silentio meo intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, ut omnem penitus solum voci stupor subitæ illuminationis includat, imnesque sensus attonitus spiritus vel continet intrinsecus, vel emittit, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundantia ac dolore suppletur, ut alias eam digerere nisi lacrymarum evaporatione non possit. »

Hinc S. Hieronymus ad S. Eustochium : « Esto, inquit, cicada noctium, » cicadæ enim nocti non ore quo carent, sed corde et pectore canunt, eodemque cibum capiunt. Nam ut ait Plinius, lib. XI, cap. xxvi : « Unum hoc, ex his que vivunt, sine ore est. Pro eo quiddam excelsitium linguis simile, et hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt. »

Audi rursum Chrysostomum, hom. 2 De Anna : « Illa, inquit, potissima est deprecatio cum ab intimis voces sursum feruntur, hoc præcipue mentis est exercitatio, non intentione voci, sed animæ fervore precatationem absolvere. Sic oravit et Lo-

res; cui cum nihil voce resonaret, Deus tamen, quid inquit, clamas ad me: Homines quidam eternam hanc vocem tantum audiunt, at Deus et ante hanc inus inelamantes audit. Itaque fieri potest ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans oret accuratissime, ut in consensu amicorum aliorum quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum.

Andi denique S. Cyprianum, libro De Oratione Dominica: « Anna Ecclesie typum portans Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur non voce, sed corde; quia sic Deum sciebat audire, » etc.

ESTIMAVIT ERGO HELI EAM TEMULENTAM, — puta ebriam. Ita Scriptura, quia Anna ex ingenti more afflictionis, neque ac fervore orationis labia ita molitabat ut instar ebriæ os distorquere, nimium depravare videretur, ait S. Chrysostomus, hom. 79 ad Populum. Animus enim more et afflictione æstans in gestus inconditos et indecoros, quales sunt ebriorum, erumpit. Heli vero nesciebat Annæ afflictionem, sed post prandium videns eam tales gestus edere, suspicatus est eam in prandio largius bibisse. Ad hæc Anna flebat: multum enim dum ebrii sunt flere solent, vel ex gaudio, vel ex recordatione suarum ærumarum: viam enim facile lacrymas ciet, ipsumque in vaporem et lacrymas resolvitur.

14. DIXITQUE EI: USQUEQUO EBRIA ERIS? — Gravis fuit hæc oburgatio, præsertim quia a Pontifice profecta, ad quam lenendam Septuaginta vertunt, Dixit ei puer Heli. Uade S. Chrysostomus, hom. 2 De Anna, et Philo, lib. De Ebrietate, cœvent Heli non per se, sed per servum hæc Annæ objecisse, tunc ne eam nimis pudefaceret, tum quod Pontificis dignitate indignum putaret eum femina ebria colloqui.

15. RESPONDENS ANNA: NEQUAQUAM, INQUIT, DORNE MI, — temulenta vel ebria sum, uti tu putas, mihi que audacter nimis objicis. Notat S. Chrysostomus reverentiam, humilitatem et modestiam Annæ, que convicium ebrietatis, quod in femina est grave et pudendum, sibi ab Heli objectum patienter tulit, et simplici negatione refellit, ac Heli Dominum vocat, eique ut sacerdoti afflictionem suam pandit, ideoque ab eo benedicti, et voti filique compos fieri meruit. Audi S. Gregorium: « Dominum sacerdotem vocans ebriam se esse abnegat, ut superiori ordini ex humilitate se subderet, et falsæ objectioni cum veritate contra iret. »

SED EFFUDI ANIMAM NEAM IN CONPECTU DOMINI, — animam, id est, animæ mœæ angustias, merores, afflictiones, item desideria, vota et spes concipiendi prolem; hæc enim omnia, et consequenter totum quasi cor, totamque animam suam Anna orando Deo representabat, et instar aque sincere et candidæ effundebat, nihil sibi reservans, nil latentis vel occultum tenens, sed omnia pudent

et in sinum Dei effundens. Unde S. Chrysostomus, hom. De fide Annæ: « Nequaquam, ait, aberraverit, qui hanc mulierem pueri simul et matrem et patrem appellavit; quaquam enim et vir addiderat semen, hujus tamen deprecatio vim efficaciamque semini præbuit, effectique ut Samuel auspicatoribus exordiis nasceretur. »

Nonnulli apud Abulensem sic exponunt: effudi animam, id est bilem et iram animæ mœæ in conspectu Domini, representans ei motus iræ, quos conceperam contra Phenennam me subsannantem, eorumque remedium et solatium ab eo postulans, ut effusa tota coram Deo cordis mei ira, cor hoc felle liberarem, ne quid in eo remaneret, quod in Phenennam æmulam meam per os et verba iracunda effunderem. Atque hoc præsens iræ et indignationis remedium esse, ut scilicet quis eam totam coram Deo per orationem effundat, docet Abulensis et alii.

16. NE REPUTES ANCILLAM TUAM QUASI UNAM DE FILIIS BELIAL, — puta ebriam, sceleratam et impiam. Vide quæ de Belial dixit I Corinth. vi. Nota, inquit S. Hieronymus in Quest. quod omnes qui ebrietatem sectantur filii Belial vocantur. Ita S. Hieronymus et ex eo Angelomus.

17. TUNC HELI AIT EI: VADE IN PACE, ET DEUS ISRAEL DET TIBI PETITIONEM TUAM. — Ecce, fructus reverentiæ et humilitatis est Pontificis benedictio et fausta precatio, quæ Annam voti compotem secundamque effecit: « Mulier, ait S. Chrysostomus, ex accusatore fecit habuerat oburgatorem. » Notat Theodoretus conjugibus ambiendam esse sacerdotis benedictionem, ut prolem suscipiant probam et sanctam, uti contigit hic Annæ; Samuel enim non tam Annæ, quam Dei filius, Annæ ab eo per benedictionem Heli datus censi debuit.

18. ET ILLA AIT: UTINAM INVENIAT ANCILLA TUA GRATIAM IN OCULIS TUIS! — Primo, S. Chrysostomus sic exponit: Utinam ex rei eventu discas me non ex ebrietate, sed afflictione et devotione orasse! secundo et melius quasi dicat: Inveniam apud te hanc gratiam ut pro me orare velis, ut Deus hæc afflictione me liberet, soleat, et matrem efficiat. Ita Hebræi, Vatablus, Cajetanus et alii; nam invenire gratiam Hebræis idem est quod placere, gratum esse.

VULTUSQUE ILLIUS NON SUNT AMPLIUS IN DIVERSA MUTATI. — Hebræice, et non fuerunt ei amplius factes, scilicet varie et diverse, ut nunc mœstia, nunc læta appareret, sed eadem semper facie, gravi, modesta, serena luctu apparuit. Aliqui vertunt, et non fuit ei amplius facies, scilicet mœstia; vel factes, id est tristitia faciei; quia scilicet per orationem se totam Deo resignans, ab eo donata fuit animi serenitate et confidentia, ut in Deo, Deique providentia et voluntate conquiesceret. Deus enim tunc certam illi indidit fiduciam, quod oratio ejus esset ab eo exaudita, quodque filium con-

ciperet. Unde spei plena, ait R. Joseph et ex eo Serarius, abili primo in suum Silontinum hospitium; postero deinde die Ramatham, cibumque jam letabundus sumpsit, nec tristi dejectoque vultu amplius fuit, sed æquali et constanti. « Vides, inquit Chrysostomus, mulieris fidem? priusquam acciperet quod postularat, perinde confisa est quasi jam accepisset; in causa erat, quod oraret mulier cum fervore, » etc.

Porro vultus serenus et constans, animi sereni et constantis est index, ab eo enim promanant; nam ut ait Ambrosius, libro I De Officiis, cap. xviii: « Habitus mentis in corporis statu cernitur; vox quædam est animi corporis motus. » Et lib. De Helia, cap. x: « Vultus, ait, quidam cogitationis arbiter, et tacitus cordis interpres. Facies index plerumque est conscientie et tacitus sermo mentis. »

Utrumque autem est fructus orationis. Audi S. Chrysostomum in Ps. cxxix, loquentem de oratione: « Qui, inquit, ita precatur, etiam antequam consequatur, quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, invidiam expellens, cupiditatem extinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens et exsiccat, animum in magnam tranquillitatem redigens, in ipsum deinde cœlum ascendens. »

Symbolice Rupertus et S. Gregorius, lib. xxxiii Moral. xxi. Anna non mutavit vultum, quia oculis mentis semel per orationem in Deo defixos ab eo deinceps non averit, sed constanter in eo tenuit, et in oratione persistit, ut semper Deum haberet in mente.

19. ET SURREXERUNT MANE, ET ADORAVERUNT CORAM DEO, — id est coram arca, Deum super arcam in propitiatorio residentem adoraverunt. Tropologicè discit hic mane Deum invocare, antequam itineri, vel operi te accingas, ut Deus illud secundet et prosperet: « Egredientes de hospitio, ait S. Hieronymus, epist. 22, armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio. » Exaudita igitur est Anna, et magno miraculo natus ei filius. Tertullianus, lib. De Jephtha, vii: « Anna impetrat facile a Deo inanem cibo ventrem implere, et quidem propheta. » Vide quæ de mane orando dixit, Deut. vi. 7.

20. VOCAVITQUE NOMEN EJUS SAMUEL, EO QUOD A DEO POSTULASSET EUM. — Hinc patet Samuel hebræice idem esse quod Saul neel, id est postulatus a Deo. Ita Iosephus, Eusebius, Serarius et alii: postulatus, inquam, et postulatione matris impetratus: Hebræi enim in compositione nominum non servant ordinem Grammaticæ, sed quasdam litteras trahunt vel abjiciunt; vocatus est ergo Samuel hoc fine, ut quoties puer hoc suum nomen audiret, recordaretur se a Deo per miraculum matri volenti donatum, ideoque se totum quod esset et viveret, debere Deo quasi peculiarem Dei Filium, ac proinde totum se ei traderet, imo redderet, ac

Nazareatus onera, que mater voverat. libens capesseret; hujus enim voti reddebatur memor, dum a matre compelleretur quod Samuel.

Servando, nonnulli apud Abulensem censent Samuel idem esse quod Ismael, ut Samuel dicitur quasi Scana el, id est exaudivit Deus Annæ matris orationem.

Tertio, S. Gregorius et Angelomus: « Samuel, » inquit, idem est quod Semo el, id est nomen ejus Deus ut « Samuel » sit fere idem, quod Emmanuel. » id est « nobiscum Deus. » Huc alludit nomen « Samuel, » licet hæc non sit ratio et etymon nominis. Sicut Moses a Deo constitutus fuit Deus Pharaonis, Exodi vii, 1, sic et Samuel Saulis et Israelis.

Quarto, Franciscus Georgius, tom. I, Problem. 442: Samuel, ait, idem quod scamo el, id est posuit eum Deus. Accedit Philo, qui lib. Quod Deus, etc., et lib. De Ebrietate: Samuel, ait, idem est quod nazario; Nazario, id est posuit vel ordinatus Deo, quia scilicet Deus eum creavit, ut sibi esset dicitur et consecratus. Aliud Samuelis etymon postea addidit mater, de quo versu ultimo.

Prima ratio maxime est propria et genuina, proinde sequuntur Josephus, Theodoretus, Procopius et alii passim. Sic Theodorus, et inverso, Theodoretus, græce idem est quod Θεω δεικναι, id est, Dei donum: unde Theodoretus scribit in Philotheo, cap. xiii, sibi hoc nomen esse impositum, eo quod mater precibus Macedonii Anachoretæ eum a Deo impetrasset. Theodoretus ergo græce idem est quod latine: A Deo datus, quo nomine S. Augustinus filium suum nuncupavit, vel Deo datus, quo nomine appellatus est Philippus II, rex Franciæ, eo quod pater Ludovicus jam senior, desperata pene generatione, eum precibus a Deo impetrasset. Sic Demaratus dicitur est filius Aristonis regis Sparte, eo quod omnis populus supplicasset, ut Aristoni regi optimo filius similis nasceretur, testis Herodoto, lib. VI. Demaratus enim dicitur quasi δεικναι δευ, id est populi imprecatio, devotio, votum.

21. ASCENDIT AUTEM VIR EJUS ELCANA, ET OMNIS DOMUS (FAMILIA) EJUS, UT IMMOLARET DOMINO HOSTIAM SOLEMNEM (quam in tribus anni solemnitatibus, puta Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum offerre solebat; unde Hebræice est, hostium dierum, id est annuum) ET VOTUM SUUM. — Hinc patet quod voverat Anna uxore votum etiam Elcana vir ejus votum proprium Deo pro Annæ fecunditate et Samuele nascituro nuncupavit, quod nunc eo obtento et nato persolvere velit. Nam mater, repugnante patre, non potest filium vovere Deo, quia filius magis pendet a patre quam a matre, et maritus est caput uxoris totiusque familie. Ita docent Abulensis hic, Quest. xxii, et Sylvester, verbo Relig. i, Quest. xiii. Sic S. Gregorius Nazianzenus in eum. De Vita sua, asserit se per votum natum, et a Deo datum matri, adeoque ei gravidæ obiectum fuisse physionomiam et nomen filii nascituri, ideoque se jam natum illico a matre fuisse Deo

Vultus constantis index animi constantis.

Vers. 14.

Vers. 17.

Vers. 18.

Vers. 20.

Samuelis etymon. Tertio.

oblatum. Sic S. Nicolaus Tolentinus natus est per votum parentum, nuncupatum S. Nicolao Myrensi Episcopo, ab eoque Nicolai nomen accepit. Sic S. Franciscus Assisias, parentibus voventibus, obtinuit filium S. Franciscum de Paula, fundatorem Ordinis Minorum, alique plures similes.

22. NON VADAM DONEC ABRACTETUR INFANS. — Dices: Anna hic videtur non servasse legem purificationis puerperae, implendam quadragesimo die a partu, Levit. XII, quando parentes primogenitum offerrebat Deo et redimebant quinque silis, Exodi XIII.

Respondet Abulensis, Quest. XXXVII et seqq., Levitas (qualis erat Anna et Eleana) hac lege non fuisse obligatos, eo quod ipsi jam Deo erant dicati et consecrati, ac quod in ipsorum utilitatem sacrificia illa purificationis cederent; unde primogenitos suos non redimebant quinque silis, nec hostias ceteris praescriptas offerrebant.

23. PREGORQUE UT IMPLEAT DOMINUS VERBUM SUUM. — Hinc videtur quod processerit aliqua revelatio de Samuele, quae hic non sit expressa, uti dixi de voto Eleanae. Solet enim Scriptura multa tacere, quae postea suggerit et supplet. Ita Cajetanus R. Nehemias asserit vocem in Silo auditam: «Puer nascetur nomine Samuel, qui liberabit Israel de manibus Philistinum;» quare omnes matres tunc filios suos vocasse Samueles; cum autem Anna filium suum quoque nominasset Samuelem, dixisse Eleanam: «Impleat Dominus votum suum,» scilicet ut per Samuelem matrem liberet Israel a Philistinis. Verum haec fabellam olent Rabbincam, uti fuse hic ostendit Abulensis. Nec enim Anna filium vocavit Samuelem, ex vocis oratione, sed quia illum per votum et lacrymas postulavit ut impetraret a Deo.

LACTAVIT FILIUM SUUM. — S. Chrysostomus, hom. De Samuele: «Ex eo tempore, ait, aspicebat puerum non tantum ut mater, sed ut rem Deo consecratam, eumque reverebatur. Si enim qui phylas poculae aurea Deo dicatur sunt, posteaquam ea jam confecta acceperint, domique reponerint, nequaquam ea quasi profana vasa inveniunt, sed tanquam Deo sacra, nec audent ea temere citraque causam attingere quemadmodum alia; multo magis haec mulier,» etc. Praesertim quia Samuel erat typus Christi, in eo a nonnullis patribus nuncupatur «Novus Israelis Moses.» Porro matres debere filios non nutricum, sed suo lacte lactare, exemplo Sarae et Annae docent S. Ambrosius, lib. I de Abraham, cap. vii; S. Chrysostomus, hom. I in Psal. xx; Clemens Alexandrinus, lib. III Paedag. cap. iv; sic enim pueri sunt validiores, matribus similiore, eorumque dotes et virtutes sugendo imbibunt.

24. ET ADDUXIT EUM. — Jam recens, a lacte amatum, quod apud Hebraeos fiebat anno etatis tertio, ut colligitur II Machab. xxvii, 27. Ita S. Gregorius, Chrysostomus, Procopius, Theodoretus, Abulensis, Cajetanus, Hugo, Dionysius. Porro tempus

triennii aptum esse lactandis pueris docet Galeus, et ex eo Franciscus Valesius, Sacrae Philosophiae, cap. LXXXIII.

Tunc igitur Samuel infantulus, ut vocatur versu 24, fuit Deo in templo oblatum. Perperam ergo Lyranus anno etatis decimo, alii septimo, alii duodecimo Samuelem Deo oblatum censent. Sic R. Virgo trimula fuit Deo in templo presentata, uti docent Patres quos citat noster Canisius, lib. I Martial. cap. xii, et Christophorus a Castro in Histor. Desipare, cap. iii. Audi S. Chrysostomum, hom. De Samuele: «A mamma, inquit, divulsus. » Et inferius: «Prima tamen pueritia a mamma matris venit ad mammam spiritualem. » Et S. Hieronymum ad Ruth: «Quid tam pium quam sanctae matri sanctum filium custodire? Anna Samuelem non sibi, sed tabernaculo genuit. » S. Augustinum in Psalm. xxviii: «Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox ut eum ab lactavi, dedit ei templum, ut ibi cresceret, ibi roboraretur in Spiritu, ut ibi Deo serviret. »

Hinc S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40, exemplo Annae docet matres debere suos filios ab infantia Deo consecrare. Audi S. Hieronymum, epist. 7 ad Leolan. de Institut. filiae: «Samuel nutritur in templo, Joannes in solitudine preparatur, ille sacro cinere venerabilis est, vinum et siceram non bibit; id ipsum deinde apposta similitudine illustrat: «Sicut, ait, eodem in loco fixa fixa vitis in longum produxit palmitem, et vna multo intervallo pendens cum radice habet commercium. Iidem et in hac accidit femina, quae in urbe manens usque ad templum extendit suum palmitem, atque illic avam suspendit matrum: nec intervallum illud ullum attulit impedimentum; cum charitas quae secundum Deum est, puerum matri copularet. »

Aldit Chrysostomus, cap. iii, Annam seipsam quoque cum Samuele Deo obtulisse: ubi enim erat Samuel ibi erat et Anna; Samuel enim secum viscera trahebat matrem: «Dum talia, inquit, loquitur, seipsam quoque dedicavit cum puero, quasi solido quodam naturae affectu seipsam templo alligans. Etenim si ubi est thesaurus hominis, illic est et cor ejus; multo magis ubi puer mulieris, ibi et mens illius erit. »

Denique urget hoc Annae exemplum S. Chrysostomus, lib. III Contra Vituper. vita Monast., docetque debere parentes permittere ut filii sui in casti ministerio famulantur, non in templum eos introducentes, ut Anna Samuelem; sed in ipsum caelum cum angelis divino ministerio dedicandos, religiosos enim una cum angelis Deo ministrare; ex quo etiam illud sequatur, ut multo magis ad parentum suorum gloriam ac felicitatem conferant, quam si in saeculo permanserint.

25. VIVIT ANIMA TUA. — id est, iuro per animam et vitam tuam: vel tam verum est quod loquor quam verum te vivere, vel me vitam tuam optare.

ET TRIBUS MODIS FARINAE. — Hebraice, in Ephra farina, id est tribus in modis farinae. Ephraemum

Morab.
ter, de
chriso-
ne pro-
fecum.

erat Acrima pars comae sive cori, qui triginta modios continebat. Erat ergo Ephra magnus modius, tres minores modios continens. Id responsum sit auctori Quest. in lib. Regum, apud S. Hieronymum et Angelomo, qui putant hunc locum esse corruptum, legiturque, et uno modio; eausm hujus oblationis dicit R. Petrus Damianus, lib. VI, quest. 37, quae in ordine omnium est 105: «Samuel, inquit, puerulus tanquam tener agriculus cum tribus farinae modis et amphora vini mense Domini, ut ita loquar, apponitur, dum Heli sacerdoti et templo Dei a parentibus dedicatur. »

PUER AUTEM ERAT ADHUC INFANTULUS. — Hebraice, et puer erat adhuc puer, id est, erat parvulus infantulus, scilicet triennis.

25. ET OBTULERUNT PUERUM HELI. — ut iuxta votum suum eum quasi a sua domo abdicantes dedicarent Deo, ut ei jugiter serviret in tabernaculo. Audi S. Chrysostomum, hom. I De Anna, dubitantem an Annae, an Samuelis virtutem magis mirari debeat: «Cum soleant, inquit, indignari pueri, quoties a lacte depelluntur; nec ipse puer aegre tulit a matris divulsio, sed ad Dominum respexit, qui matrem creaverat; nec ipsa mater doluit a puero sejuncta, propterea quod naturalem affectum viot interveniens gratia, et uterque se alteri convivere existimabat. »

Id ipsum deinde apposta similitudine illustrat: «Sicut, ait, eodem in loco fixa fixa vitis in longum produxit palmitem, et vna multo intervallo pendens cum radice habet commercium. Iidem et in hac accidit femina, quae in urbe manens usque ad templum extendit suum palmitem, atque illic avam suspendit matrum: nec intervallum illud ullum attulit impedimentum; cum charitas quae secundum Deum est, puerum matri copularet. »

Aldit Chrysostomus, cap. iii, Annam seipsam quoque cum Samuele Deo obtulisse: ubi enim erat Samuel ibi erat et Anna; Samuel enim secum viscera trahebat matrem: «Dum talia, inquit, loquitur, seipsam quoque dedicavit cum puero, quasi solido quodam naturae affectu seipsam templo alligans. Etenim si ubi est thesaurus hominis, illic est et cor ejus; multo magis ubi puer mulieris, ibi et mens illius erit. »

Denique urget hoc Annae exemplum S. Chrysostomus, lib. III Contra Vituper. vita Monast., docetque debere parentes permittere ut filii sui in casti ministerio famulantur, non in templum eos introducentes, ut Anna Samuelem; sed in ipsum caelum cum angelis divino ministerio dedicandos, religiosos enim una cum angelis Deo ministrare; ex quo etiam illud sequatur, ut multo magis ad parentum suorum gloriam ac felicitatem conferant, quam si in saeculo permanserint.

26. VIVIT ANIMA TUA. — id est, iuro per animam et vitam tuam: vel tam verum est quod loquor quam verum te vivere, vel me vitam tuam optare.

28. IDEOQUE ET EGO COMMODAVI (minus recte S. Gregorius legit «commendavi») EUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS FUERIT COMMODATUS (erit) DOMINO. — Commodavi, id est tradidi, ut vertit Chaldaeus, donavi, ut eum mihi Deus donavit, quasi dicit: Deus mihi eum dedit; quare ego illum Deo reddo et dedico, ut perpetim ministret illi in tabernaculo; Hebraice enim scaali, in Iphihil hischil, significat non tantum rogare et postulare, sed etrogatum postulatumque commodare, dare, donare per catachresin; verba enim Hebraeorum actionem nunc inchoatam, nunc perfectam significant praesertim in Iphihil. Scaat ergo significat et postulare, et postulationem exardire, sive rem postulatum dare et donare. Unde Samuel hic in Hebraeo vocatur quasi Saul leel, id est, datus vel commodatus traditusque Deo. Saul quoque dicitur est primus rex Israelis, quasi datus a Deo, vel postulatus a populo et vocatus a Deo. Unde a Saul, qui erat ex tribu Benjamin, dicitur est Saulus Paulus Apostolus ex eadem tribu Benjamin oriundus; hinc ipse, initio epistolae, hunc sibi dicit titulum «Paulus vocatus Apostolus,» etc.

In Hebraeo est pulchra paronomasia. Ait enim Anna: Ego scaali, id est, postulavi Samuelem Deo et impetravi; ideoque ego vicissim hiscith, id est, commodavi et tradidi eum Deo, ut sit Saul, id est, commodatus, datus et dicitus Deo per omnem vitam. Alludit enim ad nomen Samuel, illi- que aliud dat etymon, quasi dicit: Samuel meus initio dicitur est quasi Saul meel, id est, postulatus a Deo; jam vero dicitur Samuel, quasi Saul leel, id est, donatus et oblatum, imo redditus Domino. «Cunctis diebus quibus fuerit commodatus (supple, erit) Domino,» quasi quamdiu fuerit sup- stes, erit commodatus, datus, dicitusque Deo, ut is ipse eo utatur ad libitum. Unde Septuaginta vertunt ζκαλον κοζιου, id est, usum Domini, quasi dicit: Tradidit eum Domino utendum ad quemlibet ejus usum. Vatablus: Ego quoque mancipavi eum Domino cunctis diebus, quibus ipse mancipatus erat Domino, quasi dicit: Ego eum dedi Domino, ut per omnem vitam sit mancipatus et additus Domino. Audi S. Chrysostomum, hom. 2 De Anna: «Vide quam sit modesta, ne putes, inquit, magnam rem aut admirandam facere quod infantem dedico; non ego hujus beneficii sum auctor, sed persolvere debitu; depositum accepi, et hoc ei restitui qui dedit. »

Idem, homil. 21 in epist. ad Ephes.: «Quoniam, inquit, primitias (florum, scilicet Samuelem) obtulit, alvus ejus facta est fecunda, et alios etiam fratres illi acquisivit.» Imitentur hoc parentes, ut filios ad Religionem aspirantes non avocent, sed potius incitent; sic enim a Deo et filius et opibus ditabuntur. Audi et S. Ambrosium, Ezechort. ad Virgines, laudantem Julianam nobilissimam Romae matronam, eo quod filium unicum dicitasset exemplo Annae nostrae: «Tu, inquit, fili, impetrasti meus et votivus meus, agnosce a quo donatus sis

mibi; ille tua ora plasmavit; ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, ejus templo, ejus obsequio te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es, cujus antequam de vulva matris exires, esse cepisti. Et omnes quidem illius sumus; sed tamen tu specialiter promissus Domino, redderis, ego quasi Anna promisi ut omnibus vite tue diebus ac noctibus a conspectu t'omni non recedas. Tu exequere.» Concludit D. Ambrosius: «Egrigia, ait, semina, que sibi nihil reliquit, totam quod habuit Deo obtulit; ejus vita, institutio discipline est, et quedam formula castitatis, bono proposito et meliore magisterio.»

Audi et S. Bernardum, *epist.* 110, parentes alloquentem: «Si filium vestrum Deus facit et suum, quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; et quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore; sed vos non perditis eum; quin potius multos per eum acquiritis vobis filios; quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.»

CUNCTIS DIEBUS. — Lyranus censet Samuelem in templo ministrasse Deo usque ad annum etatis quinquagesimum duxerat; illo enim Levite quasi emeriti libertate donabantur, nec amplius in tabernaculo servire tenebantur, ut patet *Num.* cap. viii, vers. 25. Verum id repugnat huic loco; unde alii passim censent eum in templo servisse Deo per omnem vitam. Ita Philo, lib. *De Somniis*, in fine, S. Augustinus in *Psalm.* xcviij, S. Hieronymus, in cap. xlvj *Ezech.*, B. Petrus Damianus, lib. v, *epist.* 9, Chrysostomus, hom. 4 in *Acta*, quem audi: «Considera Samuelem, qui post quadraginta annos cum populi rem administrasset, tamen adhuc nutriebatur in templo.»

Illic Patres docent summam curam parentibus adhibendam esse in educatione puerorum, ipsosque pueros a teneris se virtuti Deoque dicare de-

bere. Audi inter alios S. Chrysostomum in *Psalm.* xiv, querentem cur is et alii inscribantur in *penem*, ac respondentem: «Quoniam, inquit, docet de justitia ac reliquis virtutibus; qui autem de his docet, non debet in finem vite sadere hęc, sed ab initio et ab ipsis incunabulis.» Et paulo post: «Si, inquit, nullus vestrum vult possidere servum senem, quanto magis Deus vult adulescentiam, et tanquam intactam virginem eam sibi jungit; ut ejus vite primitias ambiat, ne quis eum juventutem peccato exhauserit, languidam et enervatam senectutem virtuti reservet, et vite faciem temperet sapientia.»

Et Clemens Alexandrinus, lib. I *Pedag.* cap. v: «Quemadmodum, inquit, patres et matres libentius vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonum catulos, cervorum hinnulos, hominis puellum; ita et universorum Pater eos recipit, diligit ac defendit.»

Plura in hanc rem congerit hic noster Mendoza. Denique quod dixit Plato, eos qui arte aliqua vel scientia eximii evadere volunt, a puero eam exercere debere, id varius est in studio virtutis et sanctitatis. Unde Sancti eximii a puero sanctitati se dederunt, ut Samuel, S. Joannes Baptista, S. Nicolaus et alii.

Porro votum hoc matris non aretabat Samuelem, quin grandior factus libere posset et templo discedere, locumque alium et statum vite diligere, ut docet Lessius, tract. *De Voto*, dub. 10. Voluit tamen Samuel matris votum servare, et ratum facere per omnem vitam.

ET ORAVIT. — gratias Deo agendo, et cantum sequens, cap. ii, canendo; pars enim prima orationis debet esse Dei laus et gratiarum actio, ut docet Paulus. Hinc laus subinde sumitur pro oratione, ut *Thren.* cap. ii, vers. 19: «Consurge, lauda in nocte.» Et *Jeremias* cap. vii: «Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumes pro eo laudem.»

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anna ob natum Samuelem exultat in Deo hymnum concinit, simulque prophetat de Christo. *Mos*, vers. 12, narratur peccata filiorum Heli. *Inde*, vers. 18, Samuelis ministerium, et Anna ab Heli benedicta parvis quinque prolum. Denique, vers. 22, Heli corripit filios, sed nimis leniter: unde, vers. 27, a Deo reprehenditur per Prophetam, qui idcirco obventuras, et tam suas, quam filiorum et posterorum clades asuntiat.

1. Exultavit cor meum in Domino, et exallatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos; quia lætata sum in salutari tuo. 2. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. 4. Arcus fortium superatus est, et infirmi

accincti sunt robore. 5. Repiet prius, pro panibus se locaverunt: et famelicis saturati sunt, donec steriles peperit plurimos: et que multos habebat filios, infirmata est. 6. Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 7. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. 8. Suscitavit de pulvere egenum, et de stercore elevavit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solum gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. 9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 11. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. 12. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, 13. neque officium sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14. et mittebat eam in lebetem, vel in caldarium, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi; sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolere adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini: 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunica parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus; dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fenore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios et duas filias; et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia que faciebant filii sui universo Israeli; et quomodo dormiebant cum mulieribus que observabant ad ostium tabernaculi; 23. et dixit eis: Quare facitis res hujusmodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo? 24. Nolite, filii mei; non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hęc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, et ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me; et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. 29. Quare calce abjecisti victimam meam, et munera mea que præcepi ut offerrentur in templo; et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei. 30. Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me; sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me, erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. 32. Et videbis emulum tuum in templo, in universis prosperis Israel, et non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitentiam virum ex te ab altari meo; sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum quod ventu-